



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **BELOGRADENSIS\* ECCLESIASTICA**  
PROVINCIA CONDITUR  
BELOGRADENSIS ET ARCHIDIOECESIS EI COGNOMINE  
AD GRADUM METROPOLITANAЕ EVEHITUR

Quoniam, ut compertum habetur, pastoralis cura populi Dei « non dioecesium tantum sed provinciarum quoque ecclesiasticarum aptam expostulat circumscriptionem » (*CD*, 39), nonnulli, quorum res est, Episcopi Reipublicae Socialisticae Foederatae Iugoslaviae, expromentes sua quisque cleri ac populi vota, ab Apostolica hac Sede recens petiverunt ut quaedam circumscriptiones ecclesiasticae illic in praesens recognoscantur atque aptiore ordinentur ratione. Nos igitur, in ea quidem consentientes quae Christifidelium eorumque pastorum utilitati necnon arctiori inter se coniunctioni fovendis idonea videntur, consensu eorum quantumcumque opus est suppleto, quorum interest vel interesse censetur, e potestatis Nostrae plenitudine hisce ipsis Litteris hic ea decernimus, quae sequuntur, atque iubemus. Cathedralem Ecclesiam Belogradensem aeque ac Archiepiscopi sedem extollimus ad Ecclesiae Metropolitanae dignitatem, iura ac privilegia ei tribuentes, quae ad statutum ius sunt ceterarum eiusdem ordinis Ecclesiarum propria. Novam ita provinciam ecclesiasticam nomine *Belogradensem* condimus, quae et Ecclesia ei cognomine nunc Metropolitana facta constabit et Ecclesia Suboticana, hucusque Sanctae Sedi immediate subiecta, et Zrenianinensi, utraque Belogradensi Ecclesiae Metropolitanae suffraganea. Eademque de causa dioecesanos Episcopos Suboticanum et Zrenianinensem Archiepiscopi pro tempore Belogradensis iuri metropolitico subicimus. Ea denique hisce Litteris a Nobis statuta venerabilis Frater Gabriel Montalvo, Archiepiscopus titulo Celenensis necnon in Republica Socialistica Foederata Iugoslaviae Apostolicus Pro-Nuntius, exsequenda curet vi facultatum, quas ei facimus, una cum libertate id delegandi officium ad alium ecclesiasticum virum in dignitate constitutum, onere tamen imposito efficiendi ut certum verumque peractae exsecutionis litterarum exemplum ad Congregationem pro Episcopis transmittatur sedulo. Has Apostolicas Litteras nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die decimo sexto mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto, Pontificatus Nostri nono.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI  
*a publicis Ecclesiae negotiis*

BERNARDINUS Card. GANTIN  
*Congr. pro Episcopis Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*  
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. LXXIX (1987), n. 4, pp. 435-436

© Copyright 1986- Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana